

Michael Foertsch Johann Ludwig Bilfinger


Exercitatio Theologica De Conditione Hominis Sociali iuxta Scripturam

Tubingae: Reisius, 1699

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788078755>

Druck Freier  Zugang






54.


Fa - 1092 (54.)

1. Tractatus Theolog. de Cræstinaoe D. Holzfur.
2. De Jure Sabbathi. Stryck.
3. De Herba Bonith. Jerem. 22.
- 4.

37
36
64
64
33
31
21
21
46
59
52
16
17
18
19



37
36
64
64
33
31
21
21
46
55
52
16
17
18
19



EXERCITATIO THEOLOGICA

De

CONDITIO
HOMINIS SOCIALI
JUXTA SCRIPTURAM,

Quam

AUXILIO SPIRITUS S.

PRÆSIDE
VIRO

SUMME REVERENDO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. MICHAELE FÖRTSCHIO,

SS. Theol. D. & Professore P. ut & p. t. Decano,

Stipendii Illustris Superintendente dignissimo,

DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO

OMNI OBSEQUII CULTU JUGITER COLENDO,

d. 29 Martij Anno 1699.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA

ineditur

AUTHOR,

M. JOHANNES LUDOVICUS BÜLFINGERUS,

SS. Theol. Stud. & Serenissimi Alumnus.

TUBINGÆ,

Typis JOH. CONRADI REISL,

VIRIS
MUNERUM ET MERITORUM GLORIA
PRÆFULGENTISSIMIS,
PERILLUSTRI & GENEROSISSIMO,
DOMINO
JACOBO FRIDERICO
à RÜHLE,
SERENISS. WIRTEMBERGIÆ DUCI
A CONSILIIS SECRETIORIBUS,
ATQUE CONSISTORII
DIRECTORI
PERINCLUTO,

NEC NON

MAXIME REVERENDIS, AMPLISSIMIS, DIGNISSIMIS,
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMIS,

DN. JOH. FRIDERICO HOCHSTETTERO, SS. Theol.
D. Sereniss. Würtemb. Ducis Concionatori Aulico
Primario, Consistorii Ducalis Assessori, Præposito item
Herbrechtingensis Monasterii Amplissimo.

DN. GEORGIO HENRICO HÆBERLINO, SS. Theol. D.
Ecclesiæ Cathedralis Antistiti, Consistorii Ducalis As-
essori, Cœnobii item Alpirspacensis Abbati Graviss-
simo.

DN. JOH. WOLFGANG DIETERICO, Sereniss. itidem
Ducis Württemberg. Concionatori Aulico, & Ducalis
Consistorii Assessori Dignissimo.

DN. JOH. PHILIPPO DATT, Jurisconsulto celeberrimo,
Sereniss. Würtemb. Duci à Consiliis Justitiæ & Sena-
tus Ecclesiastici ADVOCATO nobilissimo.

*Dominis Patronis & Promotoribus
humili subjectione ac reverentia aeternum
colendis*

Specimen hoc Academicum

consecrat

Cliens devoti ssimus,

M. JOH. LUDOVICUS BÜLFINGER,
Auth. & Respondens.



Præfatio Præsidis

de

Instituto & Summâ exercitationis.



Um Pereximius & Præstantissimus Dn. Author præsentis exercitationis in memoriam revocasset, quem admodum pridem, cum Philosophorum *αριστοτέλειαν* frequentaret, de hypothesisi ista celebri in *moralibus, Socialitate*, differentes audiverit Doctores: desiderium cepit ad usum transferre theologicum, argumentum naturâ suâ ad praxin destinatum. Nolebam prorsus honesto deesse scopo, cum præsertim animadverterem, in indaganda Scripturæ analogia circa istam materiam complura loca meditanda fore, ac speciatim interiorem naturam & indolem totius decalogi, prout nimirum præcepta illius cum sociali conditione cohærent, considerari debere. Hinc præsentibus *de sociali Conditione secundum Scripturam* theses, me non nisi cursoriâ operâ moderante laborem, fluxerunt, quarum summa hæc est: *Juxta Scripturam Deum hominem condidisse socialem, illamq; conditionem per universam legem morale, cujus summa est decalogus, muniri suo modo ac stabiliri: Subjicere autem Scripturam societatem non tantum rationi & honestati, sed & sanctitati & justitiæ divinæ, imagine DEI expressæ, ad quam humana societas reducenda sit: Neque tam en, quod ista hypothesis à nonnullis ab omnibus illis respectibus, qui propriè ad Theologiam spectant, abstracta, in subsidium philosophiæ practicæ sit adhibita, Christianismo sive Theologiæ refragari.*

Juva

Juva Jchova!

EXERCITATIO THEOLOGICA.

I.



Reato elegantissimo, quod nunc tam avidè perlustramus, orbis totius systemate, benignissimus DEUS hominem formaturus, novo & insolito hactenus modo deliberationem veluti de hoc egregio opificio suscipit: *Faciamus*, inquit,

Locum Gen. 11. 18 cum brevi explanatione.

hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Creata autem tam nobili Creaturâ, homine nimirum, primo nostro parente, cum reliqua animalia propter propagationem speciei suæ bina à DEO fuerint condita, humanumque genus uno individuo circumscribi, non esset ejus naturæ ac conditioni conveniens, Deus secum rursus quasi deliberans, de muliere Adamo in adjutorium condenda à Moïse sistitur, quando in creationis historia ita pergit: ויאמר יהוה אלהים לא טוב היות האדם לבדו ויעזר כנגדו: אעשה לו עזר כנגדו. Vertente B. Schmidio: *Ceterum dixit Jehovah Deus: Non est bonum, esse hominem solitarium, faciam ipsi auxiliium pro ipso.* Quæ verba sine dubio hunc nobis exprimunt sensum, si rem absque ambagibus expendere velimus: Non bonum: id est: minimè conveniens esse homini, juxta eam nimirum naturam & conditionem, quam recens conditus est, ut extra omnem societatem vivat, quin potius ex adverso ejus natura & conditio, in quâ creavit eum, omninò postulat, ut in societate vivat, vitamque adeò cum aliis socialem traducat. Erat sanè eo tempore Adamus cetera felicissimus, nulla tamen sub sole creatura apta erat, quâcum in societatem vitæque communionem coalescere posset. Cum è contrario reliqua animantia suo pari gauderent. Itaque cum ea felicitas adhuc deesset homini, benignissimum eap. opter Numen Evam in adjutorium clementer ei concessit.

II.

Quamobrem præsens locus de peculiari societate matrimonii non modò agit, sed & in universum naturam & conditionem hominis socialem luculenter adstruit. Adamus velut caput erat & seminarium totius humani generis, quod propagari atque multiplicari debebat: nec verò multiplicatio hominum sine generatione, nec generatio sine societate &

Pro Virâ s. c. als in univ. s. 1470.

A 3

con-

69.
68.
67.

conjunctione fieri poterat. Et cum perfectum opus viventium sit generare sibi simile, vel imperfectus suo modo fuisset Adamus, si eâ generandi facultate caruisset, vel ea irrita fuisset atque inanis, posito, nimirum, in actum & effectum non traducendam fuisse. Rursus: Sublatâ muliere, necesse etiam est tolli hominum generationem: hâc sublatâ species humana perpetuari non potest, eâ verò extinctâ, valdè mutilum atque imperfectum remanere universum necesse est, quippe cum omnium rerum corporearum præstantissimus sit homo. conf. *B. Sebast. Schmidius* in annot. ad Genesin pag. m. 32. ad priora nostri textûs verba sequentia annotans: *Non est bonum, hominem esse solitarium: q. d. non est bonum naturæ hominis, nec status ejus perfectus est in mundo, quousque solitarius est, quia solitarius naturam suam propagare non potest, nisi mulier ad pariendum idonea creetur, ipsique copuletur.* conf. *Joh. Gerhardus* in *Comment. super Genesin* p. m. 57. *§ de Conjugio* p. 419. *§ 421.* item *Disput. Excellentissimi Dn. D. Scheinmanni de Societate Universali* p. 5, §. 10. *Zentgrav. de Jur. Gent. Origine* *Sc. Art. 1. p. 3.* Huc etiam ultima textûs nostri verba collimant: *faciam ipsi auxilium pro ipso.* Eo sanè auxilio, annuente & divinâ sapientiâ, sociabilis primi hominis natura opus habuit, hinc & ipse creator conclusit, hominem sine auxilio, sine sociâ, vitam feliciter protrahere non posse, fecit idcirco ipsi auxilium pro ipso, h. e. juxta *Schmidii* expositionem: *Satis ipsi idoneam atque propriam soli.* Alii *coram ipso:* Non enim tantum sicut famula coram ipso esse debebat, sed ad unam carnem, & ita, ut in propagando genere humano sint quasi unus tantum homo perfectus. Nisi itaque tali auxilio sociâve, naturæ suæ convenientissimâ, præditus fuisset, nullus præterea fuisset sermonis usus, neminem enim invenisset, cum quo conversationem habere potuisset, atque sic vita haud jucunda ei mansisset, nullâ concessâ sociâ. Imò, quomodo humanum genus, quod tamen Deus jamjam decreverat, sine sociâ multiplicari potuit? Dum propterea socialis hominis natura socios requirebat, hos autem sine sociâ sibi comparare primus homo non poterat, nisi Deum socios ipsi, quod tamen contra decretum voluntatis divinæ fuisset, quotquot necesse habebat, creare voluisset, statuere velimus: hinc manifestum censemus, Deum sociam ipsi creare debuisset, ex quâ deum humanum genus propagari potuerit.

III.

Exindè quodammodo apparet, ad naturam scilicet humanam suo modo pertinere *socialitatem*. Rectè proin *Augustinus*, homo, inquit, fertur quodammodo naturâ ad inveniendam societatem, pacemque cum hominibus, quâto in ipso est, obtinendam. de Civ. Dei. L. XIX. c. XII. Id, quod nonnulli ceu plana methodo sic investigant: Ratio nostra tunc demùm quàm maximè se exerit, quando in societate vivere datum est. Et hæc hominis ratio cogitando operosa est. Cogitare autem est connectere terminum cum termino, propositionem cum propositione, & discursum formare, quod ratiocinari vocamus. Ratiocinari autem non possumus, nisi per verba, eaque vel ore prolata, vel in mente concepta & retenta: Cui ergò usui hæc hominis ratio, per verba & discursus cum altero exercenda, foret, non concessâ sociâ? Ratiocinari per verba frustraneum fuisse, per se patet, non invento per totum orbem subjecto, quod tali ex ratiocinio judicare potuisset. Unde rectè concludit *Excellentiss. Dominus D. Scheinemann* nostrâs in dissertatione de societate univers. p. 3. §. 11. vel solam sermocinandi facultatem argumentum præbere, hominem ad vitam socialem destinatum esse, quippe cujus totâ vis & natura ad alterum directâ, vix ullo extra commercium cum aliis rationalibus usui futura esset. conf. Cicero de officiis lib. 1. Natura, inquit, vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem. Ut & paulò pòst: Ejus (societatis) vinculum est ratio & oratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitq; naturali quâdam societate. Indè *Aristoteles* probaturus hominem naturâ animal sociale esse, rationem protinùs subjungit sequentem: Nihil equidem, ut loquimur, natura frustra fecit, at soli homini præ cæteris animantibus sermonem concessit: libr. 1. polit. cap. 2. Ratiocinatio porrò per verba in mente retenta nullum quoque usum habuisset, nullo dato objecto, cum quo conceptus isti communicari potuissent; nisi quod quis secum ipso de Deo Creatore suo conceptus facere, ejusque laudes apud se celebrare potuisset, veluti, si Adamus à Deo creatus solus mansisset, ceu unus incola mundi. Quo verò posito, magna vis rationis in societate se proditura, periisset; conf. B. Pufendorf. lib. II. c. III. §. 15. de Jure Nat. & Gent. & in eod. cap. ejusd. libr. §. 20. inque *Elementis Jurispr. Univers. libr. II. axiom. II. observ. III. p. 390. seqq.* Ut igitur meritò percensendus sit hic

Conditionis
socialis in-
dole's NA-
TURALIS.

69.
68.
67.

hic *Hobbesius*, qui in suo *Cive cap. I.* in contrarium ita differit: *Caus. 15.* quibus homines congregantur, & societate mutua gaudent, penitus inspectantibus, facile constabit, non ideo id fieri, quod aliter fieri natura non possit, sed ex accidente. Nam si homo hominem amaret naturaliter, i. e. ut hominem, ratio nulla reddi posset, quare unusquisque unumquemque non aequè amaret, ut aequè hominem, aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipsi potius quam aliis desertur honor & utilitas. Ad qua respondet *Pufendorf. in Element. Jurispr. univ. libr. II. axiom. II. obs. III. p. 402. seq. & in Jure Nat. & Gent. lib. II. c. III. §. 18. p. 214.* Nam quod certa quaedam individua hos majori, illos minori complectantur amore id ex peculiari ingeniorum aequè ac temperamentorum dispositione provenit, & quod eadem horum potius quam istorum societatem frequentent, id propter certum apud ipsos conclusum finem sit peculiarem, quem magis apud hos, quam illos obtinere se posse putant. Nequaquam autem necesse est, ut omnes homines in unam coalescant societatem, in qua omnes inter se sint aequales; sed sufficit, si in plures iidem ac distinctos sese congregent cœtus, qui tamen inter se handquaquam infociabiles sint, sed læsionibus iniustis invicem abstineant, & quantum per arctiores possunt obligationes, commoda & bona invicem communicent. In *Jurispr. univ. Element. lib. II. axiom. II. observ. III. p. 399. Zentgrav. Art. IV. §. 9. p. 126. in J. N. orig. &c.*

I V.

Qualis sit
unde demon-
stratio

Neque tamen ita socialis est conditio humana, ut iste respectus ipsam formam hominis ingrediatur, quemadmodum vis intelligendi, ratiocinandi & volendi: Pone enim, unum & solum esse hominem, uti omnino erat primum à Deo conditus; adde insuper: appetitu societatis destitutum esse: solâque aded ratione præditum & mente: retinebit formam hominis, & erit homo, licet ille minimè socialis sit. Hinc patet: Medium seu principium è socialitatis respectu desumptum ad demonstranda officia hominis non attingere formam hominis & naturam strictè sic dictam, & tamen idem illud medium efficacissimum utique est ad ostendenda officia hominis velut à posteriore. Rectissime enim ita concluditur: qui vult finem, media quoque necessaria ad finem velle censetur: Itaque cum Deus hominem socialem condiderit; congruam quoque societati vitam non potest non requirere. Unde jam omnia ista officia, sine quibus vita socialis

socialis consistere nequit, præcepta esse intelliguntur à DEO: Hinc est, quod officia erga proximum tam sollicitè inculcantur in Scriptura S. passim.

V.

Praxi itaque exseritur conditio socialis: id, quod textu superiore luculenter innuitur: ait enim Deus: *Se auxilium pro homine facturum esse*: nam primò, quando dixerat: *non esse bonum, hominem esse solitarium*, non in reflexione ad solam illam societatem connubilem referri debet: quia universaliter sonant verba: neque homo tum ita solitarius erat, ut tantum non viveret in matrimonio, sed ut omni societate destitutus retur, quippe solus in mundo, & socialem tamen naturam & conditionem acceperat, unde bonum esse non poterat, ut homo in solitudine viveret, ratione habità ad omnem societatem naturæ & conditioni hominis debitam. Itaque auxilium istud seu adjutorium, solitudini oppositum, remediumque naturæ & conditioni hominum aliàs miserimæ futuræ, non ad matrimonii tantum officia, sed universæ vitæ socialis pertinet: quæ aded practica est, quippe auxiliando, adjuvando perficitur: Nimirum perinde est, ac si Conditor dicat: cum hominem utut solitarium & unicum, socialem tamen condiderim, ut aded ipsi nequaquam conveniat solum manere; ejuscemodi adjungam ipsi Adjutorium, quod coram ipso sit, quodque (ut deinceps additur) in unam cum eo stirpem humani generis socialem vitam victuri coalescat. Erit ergò & uxor in adjutorium marito, & totum humanum genus ex illa stirpe progressurum sibi invicem, quia illud: *non bonum esse hominem solitarium* se refert ad conditionem hominis, in quâ Deus eum creando collocavit: Solitudinis itaq; oppositum ad omnes homines pertinet: quippe propterea quoque mediante matrimoniali illo adjutorio nascendos, ut multiplicaretur humanum genus, inditamque indolem socialem aded luculentioribus institutis & operibus prosequeretur. Nam si intra solum binarium numerum permansura fuisset societas, parum sanè & intra angustum spatium socialis natura se explicasset. Ad omnes igitur spectat adjutoriuna suâ vi practicum.

PRACTICA
socialis indoles ex textu deducitur.

VI.

Prodit autem se praxis illa socialis præcipuè officiis erga proximum, quæ innumeris propemodum in Scriptura præceptis innuuntur, summam autem in *Decalogo*, compendio Legis moralis, comprehendatur. Hujus enim quicquid est, duplici juxta ipsam Spiritum S. ca-

Quæ se pro-
dit Officiis
in Decalogo
præceptis.

B

pite

69.
68.
67.

rite absolvitur: *Officiis erga Deum* & *officiis erga proximum*: quorum illa fundantur in nostra à DEO dependentia, ejusdemque natura, hæc præterea sociali illâ indole & conditione à Conditore instâ nituntur, nisi quod & hæc ipsâ respectum officii erga Deum sustinent, dum à Deo præcepta intelliguntur: ut immediatè quidem tendant in proximum, sed mediatè in Deum, qui præcepit: & sic itidem in priori fundamento stabiliantur. Hinc summa Legis & Prophetarum in eo consistere dicitur, ut *Deum diligamus ex toto corde, &c. & proximum sicut nos ipsos. Matth. XIX. 19. Marc. XII. 31. & Levit. XIX.* postquam series quædam officiorum erga alios numerata esset, subjicitur *v. 18. Amabis socium tuum sicut te.* Dilectio enim officiorum reliquorum initium quoddam & veluti fons est, & omnem officii materiam sub se complectitur.

VII.

Præcepta socialia primis inculcata, & Decalogo deinceps repetita;

Nimirum cùm in ipso conditu Deus homini notitiam istorum præceptorum cæi media ad finem prorsus necessaria instillaverat, facultatesque obtinendo fini per media ista concesserat; lapsu deinceps & apostasiâ à DEO effectum est, ut lux illa extingueretur partim, viresque amitterentur, partim verò obscurarentur & facultates corrumpentur. Unde cùm Deus in gratiam lapsos reciperet, restituendos pristinae rectitudini & perfectioni; decalogo illas notitias practicas & præcepta, quæ norma erant futura congrua divinæ Sanctitati & Voluntati, vitæ repetiit. Summamque adeò Legis moralis expressit brevi typo, quo vitam simul socialem stabilivit denuò, ac luculentioribus munimentis confirmavit.

VIII.

Quomodo respectus præceptorum ad socialem conditionem se habeat, generatim indicatur.

Quemadmodum verò præcepta illa in universum eò primùm à DEO destinantur, ut sint regula, secundùm quam primæva rectitudo & imago in Deo restitueretur; ita tamen sanctissimum Numen simul huc respexisse censendum est, ut per ista tanquam media quodammodo socialis vita firmaretur: nam si finem duntaxat impressit conditioni hominis, in societate vivere, neque tamen præidiis necessariis instruxit eundem; imprudentiæ, quod blasphemici, Deum arguas necesse est: ergò præcepta ista Decalogi non possunt non sustinere mediæ quodammodo rationem ratione societatis: Pone enim, ea non esse, sed indifferenter circa ista hominem agere posse; vel societas prorsus non existere ac durare poterit, vel decus illius originarium, i. e. convenientia cum Sanctitate Dei corruet.

ruct. Itaque præcepta ista necessariam habent connexionem cum sociali indole Deo congrua, non quòd ista ratio sit adæquata, omnemque respectum præceptorum exhauriat, sed quòd præter rationem Deum colendi ac ministrandi, quæ ipsis primariò inest, hanc quoque habeat, quod vitæ sociali ritè formandæ destinentur.

IX.

Ceterùm diversa ratio est nexus: sive respicias præcepta secundæ tabulæ in comparatione ad primam; sive præcepta cujuslibet tabulæ inter se. Nam ut à posteriore ordiamur, præceptis nimirum ac officiis in socios immediatè tendentibus, concernunt ea proximi sive socii primò dicitur & imperium, sine quo nullus ordo, lex, pœna, educatio, futura esset. Deinde vitam, ceu fundamentum omnium bonorum temporalium: vel matrimonium, ceu medium, quo societas continuatur, sibi que velut immortalitatem adsciscit; vel bona & opes, sine quibus societatis membra aut omninò non sustentari, aut saltem commodè non possunt: tum famam & existimationem, quæ veluti valor est membri socialis, juxta quem affirmari debet; demùm etiam familiam domumque socii seu proximi. Officia circa isthæc objecta mandata, exempto unico, negativè posita sunt: *non occides, non mæchaberis, non furaberis, &c.* quartum verò affirmativè pronunciat: *Patrem tuum, Matremq; tuam honora &c.* Unde totius secundæ tabulæ officia duobus præcipuè capitibus continentur: Obedientiâ & innocentia; illa superiores, hæc præterea in universum omnes alios cujuscunque generis & conditionis respicit. Quod verò primam tabulam attinet, ea ad officia erga Deum immediatè pertinet, quæ comprehenduntur cultu partim *interno*, partim *externo*: quòd pertinent etiam juramenta & Sabbatum: Uno nomine pietas dicitur, quemadmodum reliqua in universum probitatis voce exprimi possunt. Scriptura non rarò justitiam vocat, illam insinuans, quæ renovando in nobis inchoatur, & in futura vita perficitur: aliquando speciatim ea, quæ ad Deum tendunt, Sanctitatis nomine complectitur.

X.

Jam si singillatim præcepta socialia consideres; *illud primum secundæ tabulæ de honore Patris & Matris* ita comparatum est, ut si tollas è vita humana, simul necessariam membri socialis conditionem & qualitatem removeas, omnemque in vita humana ordinem: aded, ut societas non hominum, sed brutorum potiùs emergeret. Nam si nullus sit im-

Speciatim
diversam
essentiam
& nexum
cum sociali
natura.

Ostenditur
in Tabula se-
cundæ in
præcepto 17.

69.
68.
67.

perandi & parendi ordo, & cuiusvis arbitrio relictum, quomodo rationes suas disponere vel t, fieri non potest, quin confusio inde summa oriatur, ipsumque vinculum rumpatur. Cum enim diversæ sint hominum atates, diversæ quoque indoles, varia vitæ genera, diversæ necessitates & commoda, nec ipsa officia sunt ejus naturæ, ut æquali vinculo stringant: quid mirum, si tot myriades hominum in contraria consilia & instituta inclinent, quæ societas malè cohereret, adeoque nec duratura esset. Sic Deus quidem hominem socialem condidisse, malè tamen rationes computasse socialitati præsumendus esset, dum communionem quidem ac societatem instituisset ceu finem; sed non ejusmodi legem naturæ indidisset aut promulgasset, quâ diversæ voluntates, consilia, instituta, moresque &c. ad communionem, societatem & civitatem efficaci Principio & Autoritate dirigerentur. Ergò politâ sociali naturâ, non potuit non Deus simul velle & designare, vel præcipere designationem principii *directivi* & *potestativi* quod diversas voluntates, consilia, instituta, actiones & officia ad communionem istam ac societatem efficaci motu dirigeret, cui propterea debita obedientia, honor & veneratio exhibenda, frustra enim futurum erat, si præscripta ejus declinare licuerit. Est igitur principium potestativum istud & directivum, in civitate summam potestatem habens, in domo Patris & herus, quique eorum loco sunt: Patres in universam dicti stylo Scripturæ S. conf. B. Ojand. Theol. morali & Dannhaner Coll. Decal.

XI.

In quinto
&
sexto.

Si *quintum* demas præceptum, promiscuæ introducentur cædes, quo ipso materiam societatis, ipsamque adeò essentiam tolli necesse est: illud itaque immotum & æternum habet nexum cum conditione sociali. Quod *sexto* attinet, certum est: *adulteria* rumpere vinculum fidei conjugalis: pone ergò primò: fidem servare aut non servare promiscuum esse & licitum, necessariò omnis societas labitur. Sin promiscuos concubitus & scortationes respicias; quæ unicè libidinis explendæ causâ fiunt, non hominum ratione præditorum, sed brutorum crit societas. Sin polygamiam attendis; eam quidem, quâ plures Viri uni femina conjunguntur; præter id, quod polygamia in universum adversatur, quod Author & Stator societatis aliter disposuit, ac instituit, ut nimirum unus mas & femina in unam carnem essent, ut repetiit Christus Matth. XIX. 4. sqq. hoc cum primis observari debet, id quidem societatem per se non tollere, at confusionem detestabilem introducere, quippe in istâ confusione nemo suam

69.
68.
67.

suam posset cognoscere sobolem, undè suavissima & maximoperè naturalis
 societas inter Parentes & liberos periret, cum officiis suis; tollit ergò ex parte
 subjectionem ordinantem, ipsamque naturæ inclinationem. Sin al-
 teram, quâ plures fœminæ uni mari conjunguntur, sociali equidem con-
 ditioni per se adeò non adversatur; non tamen dubitaverim ad societatem
 accommodatissimum, unum unâ vivere contentum, adeòque hoc ma-
 trimonii genus sine dubio perfectissimum habendum, cujus leges non mi-
 nus marito, quàm Uxori sanctissimè observandæ: cum *Pufendorf. maj.
 opere Libr. VI. c. XIX.* Natura autem in quolibet genere perfectissimum
 intendit, conf. *Grotius de Veritate Relig. Christ. lib. II. num. 13.* Hæc itaque
 polygamix species tollit id, quod in societate perfectius, eidemque ac-
 commodatius est. Quod ceteros illicitos attinet concubitus, quos ad hoc
 præceptum referre solent, de quibus Lev. XVIII. illi in tantum societatì
 obesse censeri possunt, in quantum vel eosdem respectus sustinent, de qui-
 bus hætenùs, vel quod id, quod perfectius & maximè decorum, tollunt,
 vel similes, aut arctiores & graviores. conf. *Chemnitius in Loc. Seldenius
 de Jnr. Nat. & Gent. f. d. H.*

XII.

Septimum præceptum furta prohibet, & quicquid est damni circa
 bona nostra: adeoque necessarium cum conditione sociali nexum habet,
 ut, posita semel rerum proprietate & dominio non possit non omnis socie-
 tas destrui, si licentia sit, promiscuas exercere rapinas, quod ostendere
 prolixius, esset soli lucem fœnerari. Caterùm dempto dominio & pro-
 prietate rerum omnimodà, nulla quidem essent furta, sed ejusmodi sta-
 tus, à proprietate rerumque dominio abstractus, si subsistere posset, uti
 tamen non potest, durabilis tamen & quietus multiplicato genere huma-
 no nullo modo erat; ampla præterea beneficii materia & virtutum adeò
 seges peritura erat: conf. hic disputantes in diversas partes *Bæclerum
 ad Grot. & Pufendorf. maj. opere adde B. Kulpium ad Grot.
 exercit. B. D. Job. Ad. Osiandrum ad Grotium; & Theol. conscient.
 Octavum Præceptum*, famam nomenque proximi concernens, &
 quicquid ad veritatem, eique oppositum vitium spectat, arctissimo vi-
 culo cum sociali indole cohaeret; quam enim esset hæc ἀλαξία, si
 membra societatis non id valerent, quod debent, sed valor, quem vel na-
 tura impressit, vel merita imposuerunt, contrariis conatibus, consiliis,
 molimentis atque factis licitè & rectè pro cujusvis lubitù aufertur possit?

*In septimo
 &
 17. 60.*

Præterea non hominum ratione præditorum, sed figuratorum duntaxat societas esset, quæ ignominii, contumeliis, mendaciis leæteret: neque subsistere posset.

XIII.

In Nono
&
Decimo:

Nonum & decimum Præceptum concupiscentiam perversam verat, quæ duplicis generis est, concipiens illa & fomes malorum, deinceps *ἡρῆσιν*, pariens, duplici præcepta distincta non sine ratione, ut docent Theologi adversus Reformatos, conf. *Meisneri Colleg. Adiphorist. disput. II.* Ubi quaritur: Nam prohibitio concupiscentiæ concernat tantum hominem ut ministrum Dei, & sub DEO est, an verò etiam ut socium? Ratio dubitandi est: quod societati propterea nihil decedat, si quis internis concupiscentiis agitur; si modò non in contraria officia prorumpant. Enimverò respondemus: non tantum ministerium Dei, quod omnino purum & sanctum esse debet, respicere præcepta, sed & ipsam societatem attingere: etsi enim immediatè eidem nihil damni aut impedimenti adferat concupiscentia, mediatè tamen: nam quemadmodum, qui minime perversis concupiscentiis perturbatur, expeditius expromit officia debita, ita si frenalaxare concupiscentiis socio quàm socio liceat; non poterit non interior impetus, dum convaluit, in adversa societati facinora prorumpere.

XIV.

Ratio sociabilitatis in præcepti primæ Tabulæ ium quoad cultum æternum & speciatim de Sabbatho.

Jam quod præcepta primæ Tabulæ attinet, quæ cultum & honorem Dei concernunt, id equidem certum est, posse homines etiam Atheos coire in cætum, certisque pactis se societatemque ita munire & firmare, ut si quis aliter, quàm constitutum fuerit, egerit, vitâ plectatur, adeòque vinculo aliquo metu mortis adigatur ad ea, quæ facienda sunt. Enimverò *secundò* vix fieri potest, si quis non alio vinculo teneatur, quàm illo mortis metu, in quod vinculum quidem adeundo societatem consensit, quin, si privata rationes aliud suadeant, quam communitatis commodum, cum præsertim suo periculo à pacto resilire possit, si velit; vel vi tentatâ queat in diversum ire, vel clandestinis artibus, fraudibus & insidiis, à quibus tunc nullo freno coeretur, nisi illo metu, quem deponere potest: Atque sic, negato Deo, homines in eo statu collocarentur, in quo quidvis perpetrare pro lubitu liceret, nec quicquam, qualecunque etiam sit, sub aliâ quàm utilitatis ratione committi vel omitti posset. Quo principio stante, per eandem viam, quàm societas coaluit, denuò corrui. Poterit enim quisque, si modò periculum subindè non detrectet, agere, quocunque vel affectus

vel

vel utilitatis species ipsum propulsura est: quicquid sit de pacto, quod cum aliis iniit, de societate. Ex quo patet, Atheorum principia penitus destruere omnem societatem. Præterea *tertiò* non societatis humanæ futura erat communio Deum non agnoscentium, sed brutorum. Ergò præcepta de cultu Dei necessarium habent nexum cum sociali indole hominum. Neque de necessitate cultus interni dubium esse potest ex illis, quæ modò diximus; Quod verò externum attinet, is nequaquam in libertate cuiusvis positus esse debet. Nam si quisque signa pro lubitu excogitare potest divini cultus, convenientia pariter DEO & inconvenientia, Majestas ipsa DEI necesse est, non modò obscuretur, sed prorsus opprimatur, statusque Atheissimi societati infensissimus redeat. Hinc Gentiles sine Deo esse dicuntur. Eph. IV. 4. Insuper ipse Author statorque vitæ socialis non potest propitius esse societati, quæ minùs congruè ejus majestati & voluntati cultum adhibet, ita ut ludibrio potiùs habeat. Ergò conditio socialis hominis postulat, ut & DEUS colatur, & congruus majestati cultus tum internus tum externus instituat. conf. *Grotius II. 20. Pufendorf. in Concord. Relig. & Polit.* Huc pertinent illa Deum concernentia Præcepta Tabulæ primæ: nisi quod *tertium Præceptum de Sabbatho*, circumstantiam præcipuè temporis determinans, ratione numeri quidem septenarii in hebdomade nullam cum societate connexionem habet: Author tamen statorque societatis, DEUS, in eo quoque sibi conformari voluntatem hominis voluit, ut quemadmodum ipse septimo die quievit, ita & creatura imitando Creatorem solenni quiete, id est. Sabbatho divinum cultum celebret: certo indicio haud magnam de ejus benedictione spem super laboribus in societate concipi posse, si aliter & contra ejus exemplum & voluntatem factum fuerit. conf. Ex. XX. 8. seqq. Hebr. IV. 10. & alibi.

XV.

Neque verò fortuitò sive casu Præcepta decalogi istam indolem nexumque cum sociali conditione nata esse quis putabit, ergò voluntate & destinatione divinâ, eo ipso, quo talis sunt naturæ, qualem habent. Undè cum quædam ex illis absolutè necessaria sint, ut societas subsistere queat & durare, v. g. de homicidio non committendo, quædam autem ad id bene esse, decus & felicitatem societatis; DEUS utique non socialem tantum hominem voluisse, sed præterea præcepta illa tanquam media suo modo & adjumenta destinasse ad finem istum acquirendum & stabiliendum judicari debet: Undè porrò fluit: reliqua Præcepta affirmativa, quæ pronâ

Præcepta Decalogi suo modo è sociali natura deduci, & in ea fundari.

con-

69.
68.
67.

consequentiâ è negativis istis fluunt, virtutumque materiam continent, velut prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem, & quæ sub his continentur, non minùs quodammodò ad societatem promovendam dirigi à DEO, atque illa ipsa expressa, è quibus fluunt. Quod quemadmodùm ex naturâ rei hætenùs patuit, ita ampliùs exindè demonstratur; quod DEUS officiorum ergà alios rationem & fundamentum in universum è benevolentia illâ & affectu sociali derivat, dum amorem proximi, sive ut fontes loquuntur, socii, commendat tanquàm primum quoddam fundamentum reliquorum officiorum, veluti *Rom. XIII. v. 10. Dilectio proximi malum non operatur: & v. 8. qui diligit alterum, legem explevit.* Quid est autem illa dilectio, nisi benevolentia adversùs eum, qui mex naturæ est & indolis, intimè connexum habens communionis & societatis appetitum: dum ergò ad hanc benevolentiam societatisque appetitum omnia reducit officia, tanquàm ad primum quoddam (non absolutè primum, sed in respectu & sub ratione eâ, quâ indè fluunt) utique socialitatem tanquàm prius quoddam, ad quod cætera referantur, & ex quo suo modo deducantur, commendat. Huc pertinet & illud Johannis: *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat:* insinuans, sine propensione sociali istâ nihil lucis, nihil virtutis subsistere posse, sed omnia tenebris obscurata esse, quemadmodùm ex adversâ parte, *qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & offendiculum in eo non est. 1. Joh. I. 2. 9. sqq.* Quid quod hæc ratione ipsa officia Tabulæ Imæ cum Idâ, illâque propensione sociali tam arctè connectuntur, ut unum genus ex altero tanquàm indicio & signo cognosci queat: *Si diligamus nos invicem, inquit Johannes, DEUS in nobis manet.* Porro: *Si quis dixerit: Diligo DEUM, & fratrem suum oderit, mendax est. 1. Joh. IV. 12.* sub initio cap. I. idem Johannes cuncta, quæ tradit, ad societatem refert, tanquàm principalem scopum, eamque tum inter Deum & homines, tum hominem inter se. Sic enim *1. epist. l. 3. quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobi cum, & societas nostra sit cum Patre v. 7. societatem habemus inter nos mutuam, si in luce ambulemus, sicut ipse est in luce. 1. epist. l. 7.* Nimirùm ad societatem cuncta refert & officia & beneficia: quæ societas sicut in Christianis & inter Christianos communionem quandam spiritualem in Christo per fidem & charitatem innuit, ita simul societatem illam & communionem naturalem & civilem, quippè in hæc contentam, veluti partem in

69.
68.
67.

ſuo toto, vel genus in ſpecie ſimul inſinuat. Neque fruſtrà toties in Scri-
pturà S. ingeminatur illud; *Non facies contra ſocium, ſive proxi-
mum* &c. paſſim per V. & N. teſtamentum, quippè quo non tantum ob-
jectum deſignari, ſed & ratio aliqua ſimul ex ipſo reſpectu illo, quo quis
proximus & ſocius eſt, peti videtur. Legis ſive præcepti.

XVI.

Hactenus ni fallor patet ex Scriptura S. per luculentam *Agvotou Conſenſum Veterum.*
hominem à Deo ſocialem eſſe conditum, & ſub illà conditione ſociali ad
varia officia adſtringi; non tamen ut ſub ratione movente prima, ſed ſe-
cundarià quãdam & qualicunq; principio cognoscendi pratico. Huc
tendant Veteres Eccleſiæ Doctores quoque, ſit nobis loco plurium elegan-
tiſſimus *Lactantius lib. VI. inſtit. divin. c. X. ubi primò*: Rationem pro-
poſiti ſui inſtitutumque indicat, in eo poſitum, quod, cum hactenus *quid*
Deo debeatur, deſcripſerit, deinceps *quid homini tribuendum ſit*, per-
tractare decreverit. Ubi aded officia ipſa diſpeſcit in ea, quæ erga Deum
& erga homines exercentur. Id verò memorabile eſt præterea, quòd hæc
duo officiorum genera ita connectit, ut dicat; *quod homini tribuitur, Deo*
quoque tribuitur. Rectiſſimè: quia ipſa officia homini præſtita ultimò in
Deum tendunt, ob cujus voluntatem iſta exhibentur: *Secundò: primum*
juſtitie officium ait, eſſe conjungi cum Deo, ſecundum cum homine: Ergò
denuò ea, quæ ad ipſam communionem inter homines pertinent officia,
ceu immutabili nexu cum illis, quæ ad Deum pertinent, colligata eſſe do-
cet. *Tertiò*: illa officia, quæ erga Deum tendunt, *Religionis* nomine, hæc
verò, quæ erga hominem, *humanitatis* titulo inſignit: alio ſenſu, quàm
aliàs ſpecialius humanitatem ejusque jura Doctores Juris Naturæ deſcri-
bunt. Jam *quartò*: ipſam ſocialis conditionis argumentum ab hominis
ſtatu naturali petit, dum ait: *Deus, qui cæteris animalibus ſapientiam*
non dedit, naturalibus ea munimentis ab incuſu & periculo vitiora
generavit, hominem verò quia nudum fragilemque formavit, ut eum
ſapientia potiùs inſtrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affe-
ctum, ut homo hominem tueatur, diligat, ſoveat, contraque omnia pe-
ricula & accipiat & præſtet auxilium. Jam concludit his verbis: *Sum-*
mmum igitur inter ſe hominum vinculum eſt humanitas, quod qui diſru-
perit, nefarius & parricida exiſtimandus eſt; humanitatem vocans
ipſum affectum ſocialitatis: fundamentum deinceps ponit hujus, ut ipſe
vocat, humanitatis, i. e. affectus ſocialis, in eo, quod conſanguinei ſumus.

C

Nam

Nam, inquit, si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè consanguinei sumus, & ideo maximum scelus putandum est, odisse hominem vel nocentem. Quintò: Pro bellis immanibus habendos esse amplius concludit, qui hominibus nocent, qui contra jus humanitatis & fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant; rectissime homines esse negans, qui omnem sociale affectum ejurarunt, non quod respectus socialis præcisè sumtus intimè in formam hominis ingrediatur, sed quòd homo absque præceptis illis & dictatis, quæ socialia sunt, brutum potius sit & figura hominis, quam verus homo; & quòd homo, prout à Deo conditus est, adeoque ratione suæ existentiæ naturalis, non essentiæ strictissime sic dictæ non possit non socialis esse: Sextò: Planè ad nostrum propositum spectat, quod deinceps ait Lactantius, ob necessitudinem germanitatis docet nos Deus, malum nunquam facere, sed semper bonum; luculentissime insinuans; ipsam illam necessitudinem, inque eâ fundatam indolem & conditionem aliquam rationem esse & causam, cur malum nunquam sit faciendum, sed semper bonum. Addit luculentissimam hanc conclusionem: Deus, quoniam pius est, animal nos voluit esse sociale: docens isthæc officia, de quibus antea dixerat, suo modo inde fluere, & certa esse, quòd Deus, qui pius est, animal nos voluit esse sociale. Addantur sequentia, in quibus ad hunc ipsum scopum pertinentia complura disserit, & deducit amplius cap. sequente XI. ac XII. ut & alibi.

XVII.

Summatim,
quomodo
Scriptura S.
de sociali
vita agit:

Jam id quoque potè in liquido positum est, socialem conditionem prout Scriptura de ea agit, non respiciendam esse in respectu ad qualemcunque communionem, uti etiam inter bestias cœuentes quodammodo est, sed in reflexione ad communionem humanam, quæ hominum est, ut & Doctores Juris Naturæ, nominatim Pufendorfius, de ea agunt. Præterea ut ordinatam à Deo & constitutam, quatenus licet ab ea, illisque quæ cum eâ coherent, ad voluntatem Dei inferre & concludere. Insuper sociale hoc loco dicitur, non tantùm quod nexu prorsus necessario & irrefragabili cum conditione sociali coheret, & sine quo illa subsistere nullo modo potest, sed & id, quod ad ornandam, amplifiscandam, cumque Deo uniendam societatem pertinet.

XVIII.

Num de socialitate à
respectibus
revelationis

Neque tamen refragatur, quin docendi causâ instruendæque aliqujus philosophiæ socialis hominis conditio ita tractari, intraque formam

69.
68.
67.

mam disciplinae redigi queat, ut omnes illae affectiones & proprietates de quibus est sola revelatione constat, tantisper abstrahi queant, quod pateat, quod usque recta ratio in deducenda disciplina externa, ut vocant Theologi, seu *justitia externa*, ut loquuntur libri symbolici, ad praxin maxime vitamque communem accommodata progredi queat, de quo non est praesentis instituti disquirere; nisi quod id in Controversiam hic venire queat, quousque illa hypothesis de *socialitate*, à B. Pufendorffio assumpta, cum Christianismi principiis statuque conveniat, vel non conveniat. Ubi rectissime B. Dn. Seckendorffium judicare putamus, quando scribit in addit. des Christen-Staats p. 315. Ich will die Art das obgedachte Jus naturae zu tractiren/die der auch fürtrefflich gelehrte und hochberühmte Herr Samuel Pufendorf mit der abstraction von den principiis revelatis gebraucht/ an und für sich selbst nicht verwerffen: Sed quando subjungit: Aber nach meiner Einsalt find ich doch den Nutzen/ den man aus der separation der natürlichen principiorum von dem Jure divino revelato, oder weil es fast eines ist/ von den 10. Gebotten/ ziehen will/ so groß nicht/ als er sich ansehen lässt &c. de eo porro ex disciplina nostrae ratione ita videtur: hypothesein socialitatis in dicto genere abstractionis usum aliquem habere etiam in paedagogia ad Deum, ubi per propositiones istas practicas è socialitate deductas ad vitae honestioris communionem adducuntur barbari, & eò facilius ad ipsam ecclesiam excitationemque principiorum practicorum huc deducendum aperiitur via. Unde quanquam inter Christianos jam existentes haud magnum hypothesis habeat usum, certum tamen est aliquem in ostendenda paedagogia ad Christianissimum praestare usum, quod nec Seckendorffius negare videtur seqq. verbis: Dann ob zwar wahr ist/das einem Heyden/der die H. Schrift nicht für wahr/ noch für die Regul der menschlichen Actionen hält/aus blosser Vernunft/und deren Liecht/ wie es zumahl bey den meisten und klügsten Nationen der Welt angenommen worden/ Vorhaltung gethan werden muß &c. Ubi adeò fatetur, principiis extra Scripturam S. omninò rectè adduci gentilem; pergit tamen: so ist doch in der Christenheit also zu schreiben/ und den Grund des geoffenbahrten Rechtens hindan zu setzen/ eben nicht nöthig: nulla utique est necessitas ex parte Christianismi, neque alio sine Dn. Pufendorffius istam hypothesein assumpsit, quam ut praecipue praxi in vità civili inferviret, ubi manifestum quoddam jus mutuum praesertim ac strictè sic dictum, & in ipso actu praesentius, quam

abstracta usum habet in Christianismo?

INNOVATIO TE NOMINE ET GLORIA



Scholastica subtilitas admittit, requiritur: atramen ex superfluo cum Christianae Philosophiae officium sit, rite distinguere ea, quae pertinent ad interiorē Christianismi constitutionem, & ea, quae spectant ad ipsam pedagogiam & Christianismum antecedunt, sine dubio necessarium est quoque suo modo, indagare, intraque formam alicujus demonstrationis constringere ea, quae veluti remotiore viā gentiles aut similes illis inter ipsos Christianos adducantur, & ex natura & indole vitae humanae, uti communione quādam coalescit, partim notitia officiorum honestatis, partim ipsius Dei hauriatur. Quod denique addit: *Es nimmt von denen neuen hypothesebus (zwar wohl wider der Authorn intention) unsere fürwichtige und je länger je mehr vor Gottes Wort Eckel habende Jugend Anlaß/ daß sie von den alten/ und ihnen als Christen billich geltenden Regulis, nicht viel mehr halten/ von denen neuen aber nichts beständig glauben/ als was Nutzen bringet/ oder gefällig ist: Verissimum est atate hāc corruptissimā, nisi quod abusus perverforum ingeniorum innocentis instituti rationem nequaquam tollere debeat, si praesertim ostensione justae applicationis proclives ad Atheismum & impietatem cogitationes in ordinem redigantur. Quod hīc non monemus alio sine, quam ut in thesi scopo nostro accommodatā quodammodo ostendamus, hypothesis de socialitate, uti à Pufendorffio in disciplinam traducta est, Christianismo & Theologiae ad orthodoxam nequaquam aliquid adferre detrimenti, neque suo prorsus usu destitui: de cetero non ignorantes, quid super isto puncto inter viros magni nominis disputatum sit, quorum lites è cineribus veluti revocare nequaquam animus est, praesertim thesibus hisce theologis ad exercitium praecipue disputatorium inter commilitones destinatum.*

Corollaria.

I.

Lex moralis, cujus summa est decalogus, rectissime dicitur norma societatis, quā honesta esse debet ac justa: Et tamen respectus Et conditio socialis mentem in cognoscendis officiis honestatis Et justitiae quodammodo dirigit.

II.

Loco secundi corollarii Rationem reddemus de doctrina Legis, speciatim moralis, Et decalogi in unversum.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.

